

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

Quando igitur orator est vir bonus, is autem citra virtutem intellegi non potest, virtus, etiam si quosdam impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est: mores ante omnia oratori studiis erunt excolendi atque omnis honesti iustique disciplina

5 pertractanda, sine qua nemo nec vir bonus esse nec dicendi peritus potest - nisi forte accedemus iis qui natura constare mores et nihil adiuvari disciplina putant, scilicet ut ea quidem quae manu fiunt atque eorum etiam contemptissima confiteantur egere

10 doctoribus, virtutem vero, qua nihil homini quo ad deos immortalis propius accederet datum est, obviam inlaboratam tantum quia nati simus habeamus. Abstinentis erit qui id ipsum quid sit abstinentia ignoret? Et fortis, qui metus doloris mortis superstitionis nulla ratione purgaverit? Et iustus qui aequi bonique tractatum, qui leges quaeque natura sunt omnibus datae quaeque

15 propriae populis et gentibus constitutae, numquam eruditore aliquo sermone tractarit? O quam istud parvum putant quibus tam facile videtur! Sed hoc transeo, de quo neminem qui litteras vel primis, ut aiunt, labris degustarit dubitaturum puto. Ad illud sequens praevertar, ne dicendi quidem satis peritum fore qui non

20 et naturae vim omnem penitus perspexerit et mores praeceptis ac ratione formarit. Neque enim frustra in tertio de Oratore libro L. Crassus cuncta quae de aequo iusto vero bono deque iis quae sunt contra posita dicantur propria esse oratoris adfirmat, ac philosophos, cum ea dicendi viribus tuentur, uti rhetorum armis,

25 non suis. Idem tamen confitetur ea iam esse a philosophia petenda, videlicet quia magis haec illi videtur in possessione earum rerum fuisse. Hinc etiam illud est quod Cicero pluribus et libris et epistulis testatur, dicendi facultatem ex intimis sapientiae fontibus fluere, ideoque aliquamdiu praeceptores eosdem fuisse

30 morum atque dicendi. Quapropter haec exhortatio mea non eo pertinet, ut esse oratorem philosophum velim, quando non alia vitae secta longius a civilibus officiis atque ab omni munere oratoris recessit. Nam quis philosophorum aut in iudiciis frequens aut clarus in contionibus fuit? Quis denique in ipsa quam maxime

35 plerique praecipunt rei publicae administratione versatus est? Atqui ego illum quem instituo Romanum quendam velim esse sapientem, qui non secretis disputationibus sed rerum experimentis atque operibus vere civilem virum exhibeat.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Erklären Sie die Konstruktion von constare (Z. 6)!
2. Welcher Kasusgebrauch liegt bei metus doloris mortis superstitionis (Z. 12f.) vor?
3. Erklären Sie den Gebrauch von idem in (Z. 25)!